



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm

Vinitor, Gerlacus

Coloniae Agrippinae, 1656

III. De Communione generali, vel particulari in Missa solemni.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9459

ea cantatur Gauantus in Rubr. Miss. part 1. tit. 13. num. *Gauantus*
s. Litt. h. *loco citato*

§. 47. Cantato à Diacono *Ita Missa est* vel *Benedicamus*
Domino, Celebrans & Diaconus simul vertunt se per
latus Epistolæ ad Altare, ipseque Celebrans dicit *Pla-*
ceat tibi Trinitas, vt in Missali: Cantato à Choro prius
Deo gratias. *litt. r.*

§. 48. Dum datur benedictio à Celebrante nihil de-
bet cantari à Choro, vt omnes sint attentiores ac be-
nedictionem.

TITVLVS III.

De Communionem generali, vel particulari in Missa solemnem.

1. **S**i facienda sit communio generalis, vel par-
ticularis in Missa, sumpto pretioso sangui-
ne à Celebrante, & nondum vino in Calicem in-
fuso pro purificatione ipsius Celebrantis, Sub-
diaconus palla regit Calicem, & cum ultra me-
dium Corporalis à parte Euangelij non extra
ipsum collocat propter Sacras species vini adhuc
in eius fundo relictas, & statim Diaconus acce-
dit ad dextram Celebrantis cum debitis genu-
flexionibus, & Subdiaconus per planum ad sini-
stram ipsius Celebrantis qui etiam debitas facit
genuflexiones in accessu & recessu eo tempore
quo Diaconus. Tum ipse Diaconus pyxidem o-
pertam in qua sunt Hostiæ consecratæ, ponit in
medio Corporalis cum genuflexione debita,
qua posita, eam discooperit & genuflectit, Cele-
brante interim & Subdiacono aliquantulum in
cornu Euangelij, & alijs circum altare genu-
flexis.

*Carem Epif.
lib. 2. c. 20.*

2. Tunc qui communicandi sunt, accedunt ad Altare cum debitis genuflexionibus, ibique stant manent, alijs de Clero semper stantibus.

3. Apertâ Pyxide, & factâ genuflexione, Diaconus in planum descendit ad cornu Epistolæ, ibique profundè inclinatus versus Celebrantem dicit manibus iunctis *Confiteor* alta voce, vel cantando, absoluit.

*Carem Epif.
loco cit.*

4. Celebrans verò, pyxide aperta, surgit, & genuflectens retrahit se ad cornu Evangelij, ibique Subdiacono stante post ipsum, facit ad altare conuersa, expectat finem confessionis. Quâ factâ ipse genuflectit & conuertens se ad Diaconum inclinatum dicit stans non cantando, sed intelligibili voce *Misereatur vestri, &c. & Indulgentiam absolutionem & remissionem peccatorum vestrorum, &c.* licet communicandus sit vnicus, producens manu dextra signum Crucis super communicandos, cui Diaconus, adhuc inclinatus, Resp. *Amen.*

5. Si Diaconus & Subdiaconus communionem sunt accepturi, ille facta genuflexione post datam absolutionem, accedit ad partem epistolæ, vbi genuflexus super gradum secundum altaris expectat communionem, Subdiaconus verò ante Confessionem accedit ad partem Evangelij vbi etiam genuflexus expectat. Tum, vel etiam citius, Acolythi, qui non tenent faces, vel alij ministri extendunt linteam mundum, & genuflexi facie ad se inuicem versa, sustinent illud hinc inde, ambabus manibus per quatuor angulos, quasi iacens quousque perfecta sit Communicatio Clericorum & non aliorum, quia Laici, Communionem ad cancellos accipere debent, super quibus debet extendi linteam, si sint cancelli ad hoc conuenientes

6. Deinde Celebrans acceptâ pyxide cum genu-

genuflexione solita prius, præmissis verbis *Ecce Agnus Dei. &c.* & ter *Domine non sum dignus* clara voce & integre prolatis præbet communionem primò Diacono & Subdiacono ante linteam prædictam genuflexis ante prædictum linteam. Deinde alijs Clericis præbet communionem, etiam Acolythis sibi ipsis linteam tenentibus. Si autem communicandi sunt Acolythis faces tenentes, substituunt sibi alios donec communionem acceperint.

7. Si qui Prælati interiores Episcopo, Sacerdotali tamen caractere insigniti, sint communicandi, aut alij etiam Sacerdotes, accedunt post ministros Sacros cum habitu choralis & stola de collo pendente eisque Diaconus in cornu Epistolæ stans, alijsque de Choro præbet purificationem in aliquo Calice, si sint in Sacris Prælati tamen insignes communicari debent ante ministros Sacros.

8. Diaconus & Subdiaconus sumpta communiõne, statim se purificant ad Credentiam cum Calice ad id præparato, quo facto Subdiaconus vadit ad sinistram Celebrantis, quem communionem distribuentem comitatur manibus iunctis, Diaconus verò in cornu Epistolæ purificationem cum Calice ministrat ijs scilicet qui de Clero sunt, non laicis quibus purificationem debet alter de Clero cum alio vase vini & aquæ præbere. Eo verò casu Diaconus ad dextram Celebrantis accedit.

9. Facta communiõne Clericorum, Celebrans descendit ad cancellos, ubi laicos communicat, ante quos Acolythis extendunt linteam, nisi iam sit appositum.

10. Facta communiõne Celebrans redit ad altare tenens digitos super Pyxidem, nisi dicens, & dum ascendit, ministri hinc inde eleuant fimbrias

brias anteriores vestium suarum, ibi deponit Pyxidem super Corporale, genuflectit & aduertit diligenter, si aliquod fragmentum digitis adhæreat, quod in pyxidem excutit: Diaconus eandem operit cum debitis genuflexionibus, & reponit in Tabernaculum cum debitis iterum genuflexionibus Celebrante & Subdiacono genuflexis aliquantulum ad latus Euangelij, ac alijs ministris in locis suis: quibus deinde erectis Tabernaculum claudit, & reposito calice in medio Altaris fiant alia pro purificatione Celebrantis.

ANNOTATIONES

§. 1. Si Diaconus & Subdiaconus non accipient communionem, quia videlicet sunt Sacerdotes & volunt Celebrare Missam aut alia de causâ datâ absolutione à Celebrante, statim hinc inde assistunt ad latera ipsius: ubi conuersi ad sanctissimum Sacramentum illi profundè se inclinant, dum Celebrans dicit, *Domine non sum dignus*. Decet tamen vt semper Dominicis diebus & saltem festis communicent nisi sint Sacerdotes & velint celebrare.

*Ceram. Episc.
lib. 2. ca. 31.*

§. 2. Diaconus non tenet Patenam sub mento communicantium, quia hoc tantùm spectat ad Episcopalem dignitatem: quod tamen in primitijs multas ob causas concedendum videtur.

*Gassanus
part. 2. tit.
10. n. 9. lit. c.*

§. 3. Aduertant Acolythy deferentes faces, vt neminem impediunt in communionem, imò genuflexi maneant ad laterales gradus altaris, facie ad se inuicem conuersa.

§. 4. Vt communio honestiùs fiat duplex debet adhiberi mappa ad quodlibet Altare, ubi fit communio, vna pro ministro aut ministerio, altera pro communicandis: nec honestum ac decens est vt manu tertium Celebrantis ad id deseruiat, nec prorsus purificatorium, aut velum Calicis.

*Gassanus
part. 4. tit.
3. n. 7.*

§. 5. Aduertant Sacerdotes communicandi vt stolam habeant de collo pendentem, non tamen in modum Crucis, & communionem accipere semper debent intra Presbyterium, Laici vero extra illud.

§. 6. Inte-

§. 6. Interim dum fit communio tam Clericorum quam Laicorum, possunt conuenienter decantari aliqui psalmi, aut hymni, siue Cantica de SS. Sacramento secundum morem locorum, vel pulsari Organa.

§. 7. Celebrans vel Diaconus in fine Communionis cum Ciborio seu pyxide nullam dare debet benedictionem, sed Celebrans in fine Missæ solū more solito benedicit.

§. 8. Si post Missam rationabili de causa facienda sit communio generalis per Celebrantem, tunc Celebrans adhuc indutus planeta, eadem agit, quæ superius præscripta sunt, & eo casu faces ab Acolythis etiam accendendæ sunt. *Rit. Rom. III. de comm.*

§. 9. Pyxides in quibus sacræ hostiæ asseruari solent, sicut & vascula pro sacris oleis conseruandis prius sunt benedicendæ quam ad eum vsum admodum sacrum adhibeantur: & colligitur ex regulis Missalis de ingressu Sacerdotis ad Altare vbi expressè habetur hostias consecrandas debere vel super corporali, vel in Calice, vel in alio vase mundo consecrato poni. Materia huius vasculi pro sacris hostijs asseruandis de conuenienti debet esse argentea atque deaurata, sed propter Ecclesiæ paupertatem adhiberi poterit aliud alterius materiæ modo sit tale in quo fideliter & absque periculo irreuerentiæ corpus Domini asseruari possit. *Durandus lib. 1. de ritibus Ecclesiæ cap. 16. Viggers part. 3. q. 83. dub. 16. n. 76.*

TITVLVS IV.

De Missa solemnī & priuata quæ coram SS. Sacramento patenter exposito celebratur.

1. Cūm Eucharistia sit præcipuum & maximum Dei donum & longè Sacratissimum Sacramentum, quo nihil habet Ecclesia admirabilius, nihil dignius, nihil sanctius, & nihil salubrius, ipsum omnis boni ac gratiæ fontem & auctorem continens, illi non potest à nobis condignus honor impendi; vnde congrua est, *Carem. Epif. lib. 1. c. 12.*

L 6 & ab